

dinis, vel secularis), et hoc non solum in morte, sed etiam in vita singulis annis (1).

68. 13. Plures dd. asserunt, ut Angelus Silvester Armilla Tabiena, alique cum Croix (qui illis adhæret) posse Episcopum ex juxta causa commutare pias testatorum dispositiones, ex eo quia ipsi habent dispensandi potestatem in lege quæ jubet impleri ultimas voluntates, quoties ad sit juxta causa; idque confirmant ex Tridentino sess. 22. c. 6. Sed hoc negamus cum sententia probabiliori Molinæ Layman Sanchez, etc., quia in cap. Tua de Test. et in cap. 8. ejusdem sess. 22. a Concilio jubentur Episcopi adamussum exequi ultimas voluntates. Neque obstat quod opponunt, et quod legitur in eodem cap. 8., quia ibi tantummodo committitur Episcopis ut examinent causas utrum veræ sint nec ne, quando ultimæ voluntates a Sede apostolica commutantur. Tanto magis quia in Clem. Quia contingit de Reliq. dom. dicitur bona in aliquem usum applicanda non posse in alio nisi a Sede apostolica applicari. Ceterum est valde probabile quod dicunt Laym. Bon. Salm. Coninch. et Trull., quod si superveniat aliqua causa, sive testator ignoraverit aliquam causam, quam si cognovisset, aliter disposuisset; tunc Episcopus potest opus commutare, sed una cum hærede, quamvis, si hæres contradicat, asserant plures dd. posse id facere Episcopum illo contradicente (2).

69. 14. Dicunt super dd. ut Viva Diana Trullenchius Busembaum, alique, posse ab Episcopo fieri compositionem incertarum restitutionum (illarum scilicet quarum dominus est incertus) quæ pauperibus sunt erogandæ; quoniam (ut ipsi dicunt) hujusmodi compositio nulla lege Episcopis reservatur; et contra ipsa est juxta præsumptam creditorum voluntatem. Sed magis rationabiliter con-

(1) N. 576. — (2) Vide plura de hoc l. 8. n. 931. quer. 2.

traducunt Lugo Molina Turrianus Corduba, et alii, quia talium honorum administratio pertinet tantummodo ad Pontificem, vel ad Principem (3). Et re quidem vera Pontifex Benedictus XIV. in Bulla Pastor bonus (23. aprilis 1744.) hujusmodi facultatem S. Pœnitentiariæ concedit (4). Vide Tr. 19. n. 148. ad 10.

70. 15. Affirmant quoque La-Croix Tamb. et Pasqual. posse ab Episcopo minui numerum Missarum a testatore relictarum, quoties ob elemosynæ parvitatem, qui Missas celebraret, non inveniretur. Sed hic se opponit p. Concina, et quidem rationabiliter; nam Decretum S. C. emanatum jussu Urbani VIII. et confirmatum ab Innoc. XII., prohibet districte Episcopis reductionem moderationem, aut commutationem onerum Missarum impositarum in *limine foundationis*, et post Tridentinum, volens quoad hoc omnino ad Sedem apostolicam recursum haberi. Quia recte ibidem declaratum fuit, quod facultas concessa Episcopis, aliisque a Concilio, sess. 25. c. 4. de Reform. intelligenda est pro reductione Missarum relictarum ante Concilium. Cæterum ait Fagnan. cum Felino, quod si ab initio relictus erant sufficientes, et deinde taliter fuerint immutuli, ut nullo modo sufficiant, tunc non videri ablatam facultatem quam habent Episcopi de jure communi moderandi Missas juxta c. Non quidem de Testam. (5).

71. Jam superius dictum est n. 53. posse probabiliter Episcopum dispensare in omnibus in quibus dispensatio non est specialiter Pontifici reservata. Quid vero possint Episcopi circa relaxationem juramenti, et circa commutationem, aut dispensationem votorum, diximus Tr. 5. n. 19. 42. et seq. Notandum hic denique posse ab Episcopo, juxta Trident. sess. 21. c. 7. uniri, aut transferri

(3) N. 592 v. notat autem — (4) l. 7. n. 470. de facultat. s. pœnitentiariæ ad 10. — (5) Vide l. 6. n. 331. v. dubit. 1.

ad aliam ecclesiam beneficia simplicia jam ad tenuitatem redacta, aut fundata in aliqua ecclesia quæ lapsu temporis jam corruerit adeo ut nequeat amplius reparari, vide Barbosam (1). Insuper Episcopus potest unire seminariis beneficia simplicia etiam reservata, aut affecta, aut vacantia in curia Romana; Trid. sess. 23. 18. Insuper tempore visitationis potest Episcopus cogere parochianos ad necessaria parochia subministranda; Trident. sess. 21. c. 4. Potest etiam novas parochias erigere, et de matricibus dotare si hæc abundet, sed sine præjudicio possessoris; Trid. eod. loco. Potest etiam duas parochias unire, si divisæ nequeant singulæ suum parochum sustentare; dummodo populus non adeo distet, ut non sufficiat unius parochi assistentia; *ibid.* c. 5.

CAPUT IV.

De privilegiis regularium.

PUNCTUM I.

DE PRIVILEGIIS SPECTANTIBUS AD OMNES REGULARES IN COMMUNI.

72. 73. 74. I. De exemptione a jurisdictione Episcoporum.
75. Casus excepti, præcipue circa celebrationem Missarum.
76. Declaratio S. C.
77. Quibus casibus potest Episcopus obligare Regulares, etc.
78. Utrum Regulares teneantur præceptis Episcoporum.
79. Utrum Episcopus possit eos visitare.
80. Utrum visitare clausuram Monasterium.
81. Utrum petere rationem Missarum relictarum, etc.
82. et 83. Quibus casibus possit criminaliter procedere, etc.
84. ad 87. II. De obligatione decimarum.
88. III. Circa fundationes.
89. De monasteriis Episcopo subjectis.
90. IV. De judice conservatore.
91. et 92. V. De sepultura.
93. et 94. De portione canonica, etc.

72. I. Regulares habent privilegium exemptionis a jurisdictione Episcoporum, nam Prælati regulares habent in suis ecclesiis et monasteriis jurisdictionem quasi episcopalem, tam quoad personas, quam loca, sicut probant Salmant. qui agunt fusiùs de omnibus privilegiis prædictis in hoc puncto; sed nos solum adnotabimus hic res magis principales (2).

73. Itaque quoad prædictam exemptionem adnotandum primo, quod in dubio alicujus privilegii, decisio spectat ad summum Pontificem, quem admodum declaratum fuit a Clemente IV., et ab aliis Pontificibus (3). Adnotandum secundo quod huic privilegio exemptionis Regulares cedere non possunt, sicuti habetur ex cap. Cum tempore de arbitris, quia id redundaret in damnum religionis: quare nulla consuetudo in contrarium potest in hoc prævalere (4).

74. Notandum tertio, hoc privilegio gaudere, non solum professos et conversos, sed etiam novitios, qui in favorabilibus veniunt sub nomine Religiosorum; et etiam Tertiarios et beatos, sicuti dictum est numero 8. Servi etiam Regularium qui actu famulantur, et resident intra claustra monasteriorum et vivunt sub obedientia juxta Tridentinum, sess. 24. de Regul. et Monial. c. 11., eximuntur a jurisdictione Episcoporum, tam quoad censuras (juxta Bullam Alexandri IV. apud Salmant.) quam etiam quoad Communionem paschalem (5). Notandum quarto quod apostatæ et fugitivi possint capi ab Episcopis, sed solummodo ut consignentur suis Superioribus. Episcopus solum eos posset punire in casu quod eorum monasteria essent in loco quo posita, et ipsi moniti nolent regredi juxta Trident. sess. 6. c. 3. de Reform. (6). Vide alia, quæ de hac re dicuntur num 82. et 83. Notandum quinto quod Sæculares in monasteriis exis-

(2) Salm. tr. 18. c. 3. n. 3. — (3) *ib.* n. 6. — (4) *ib.* n. 7. — (5) *ib.* n. 8. et vide opus nostrum l. 6. n. 240. in fine, et l. 1. App. 2. de privil. n. 73. et seq. — (6) Salm. eodem n. 8.

(2) Salm. tr. 18. c. 3. n. 3. — (3) *ib.* n. 6. — (4) *ib.* n. 7. — (5) *ib.* n. 8. et vide opus nostrum l. 6. n. 240. in fine, et l. 1. App. 2. de privil. n. 73. et seq. — (6) Salm. eodem n. 8.

tentes si ibi patrent aliquod delictum, non incurrunt pœnas ab Episcopo impositas (1). Excipiatur, si contravenirent Ordinibus Episcopi circa Missarum celebrationem; sicuti dicetur in fine sequentis numeri.

Sexto adnotantur e contrario multa hoc in loco in quibus Regulares non eximuntur ab Episcoporum jurisdictione. Et primo sine Episcoporum licentia nequeunt Regulares edificare monasteria juxta Bullam Urbani VIII. die 28. Augusti 1624. Et animadvertatur quod in Bulla Gregorii XV. *Atias*, prohibetur Episcopis dare hanc licentiam, si in monasterio nequeant ali redditibus, aut elemosynis saltem duodecim Religiosi; sed hoc non intelligitur quoad hospitia, ut dicunt Barbosa Peirinus et cæteri. Secundo Regulares non possunt in lucem libros edere sine Episcopi licentia, ut ex Tridentino, *sess. 4. Decr. de Edit. librorum* (2). 3. Episcopus potest cogere Religiosos ad restituendum novitiis, qui nolunt professionem emittere, totum id quod attulerunt in ingressu (3). 4. Dispositio facienda a novitio, nisi ante duos menses, quam profiteatur, fieri non potest (juxta Trident., *sess. 25. de Regul. et Monial. c. 16.*) absque licentia Episcopi, aut Vicarii. 5. Episcopus habet potestatem cognoscendi simul cum Superiore Religiosi de causa nullitatis professionis (4). 6. Episcopus, aut alius ab eo deputatus, debet scrutari voluntatem virginum; quando ingrediuntur aut profitentur in monasteriis; ex Trident. *sess. 25. de Regul. et Monial. c. 17.* Sed id debet efficere intra quindecim dierum spatium, aliter non potest hac in re se amplius ingerere. 7. Episcopus potest prohibere, ne in monasteria Monialium, etiam exemptarum, suscipiatur ultra numerum earum quæ possint inibi ali juxta re-

(1) Salm. *ibid.* n. 9. et tract. 40. de censur. c. 5. n. 113. cum Laym. Avila Peñu. Garzia, et aliis pluribus. — (2) Salmant. tr. 48. c. 3. n. 40. 41. et 42. — (3) Vide Salmant. tr. 45. c. 3. n. 76. — (4) *Ib.* c. 5. n. 45.

dituum facultatem, sicuti statutum fuit in Bulla s. Pii V. (5). 8. Episcopus potest cogere Monachos, qui permanentes degunt extra monasteriorum claustra, propter debita ab ipsis contracta cum puperibus personis, ut sunt pupilli, viduæ, etc.

(6). 9. Episcopus potest adstringere Religiosos, ut processionibus intersint, juxta Trid. *sess. 25. cap. 13.*, dummodo eos vocet non per publicum Edictum, sed medio aliquo nuntio personaliter (7). 10. Episcopus habet jurisdictionem supra monasteria, in quibus non possunt ali Religiosi, ut dicetur num. 88. ad 3. Denique excipiuntur Episcoporum ordinationes circa Missarum celebrationes: etenim quoad hoc statuit Tridentinum, *sess. 22. de Observat. in Celebr.* ut Episcopi se gerant velut delegatos apostolicos, dicens: *Ut non solum ea ipsa sed quæcumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi... ut delegati Sedis apostolica prohibeant, mandent, etc.: atque ad ea inviolate servanda censuris eclesiasticis, aliisque pœnis... fidelem populum compellant: non obstantibus privilegiis, exemptionibus ac consuetudinibus quibuscumque.* Idem hic notandum quod adest resp. S. C. ad Episcop. Nebiens 7. Febr. 1630. (lib. 14. Decret. p. 561. a tergo), ubi generaliter loquendo dictum fuit: *In his in quibus a jure communi, a s. Concilio Trident. a Constit. apostolicis tribula est Episcopo jurisdictio in Regulares, potest illos etiam per censuras ecclesiasticas compellere.* Et idem decisum fuit die 4. Junii 1672. (lib. 27. Decret. pag. 406.). Quare sicut bene advertit Benedictus XIV. (8) Episcopi quoad celebrandas Missas possunt adigere omnes, quamvis Regulares, ad observandum non solum ea, quæ statuuntur a Concilio, sed etiam quæ statuuntur a seipsis. Quare recte Eminentissimus Cardinalis Spi-

(5) Salm. tr. 48. c. 3. n. 44. — (6) Salm. tr. 18. c. 3. n. 45. — (7) *Ibid.* n. 46. et 17. — (8) De Synod. lib. 9. c. 45. n. 5.

nelli, cum esset Archiepiscopus Neapolis, die quinta Januarii 1743. præcepit sub pœna suspensionis a Divinis, etiam Regularibus, ne admitterent ad celebrandum in suis ecclesiis aliquem sacerdotem advenam sine licentia Ordinarii.

76. Adnotantur alia, quæ declarata fuere a S. C. in Decreto die secundo Julii 1520. Et 1. Regulares possunt recipere, quæ a devotis offeruntur sed non mendicando per ecclesiam. 2. Non possunt uti pallio aut pluviali per parochiam extra eorum ecclesias, aut earum recinctum: neque possunt facere processionem, dummodo non habeant pro se consuetudinem in contrarium, ut dicunt Rodrig. Bordon. et Villalobos (1). 3. Vocati ad funeralia debent ire ad ecclesiam, ubi manet clerus jam coactus; sed in hoc dicunt Salmantic. cum Lezana, esse consuetudinem in contrarium (2). 4. Non potest vetari Regularibus ne celebrent Missam in suis ecclesiis ante Missam parochialem, et ne pulsent campanas, uti declaravit s. Pius V. in Constit. *Etsi Mendicantium*, § 2. 5. Regulares nequeunt publicare matrimonia. 6. Possunt ipsi concionari in suis ecclesiis, tempore Adventus et Quadragesimæ, quamvis in parochia cœmocinetur (3).

77. In tribus casibus potest Episcopus cogere Regulares ad obediendum, etiam adhibitis censuris: 1. est ad restituendas res novitiis, ut dictum est, juxta Tridentinum, *sess. 25. c. 16.*: 2. ad observandam clausuram, loquendo de Monialibus, Trid. *ib.* c. 5.; 3. ad observandum totum id, quod ab Episcopo statutum est quoad Missarum celebrationem, ut dictum est n. 75. Et circa id refert Bened. XIV. (4) duo Decret. S. C. Concilii, in quibus dictum fuit, quod Episcopi ut delegati apostolici possint etiam censuris cogere Reli-

(1) Vide Salm. tr. 48. c. 3. n. 18 et 49. — (2) *Ibid.* n. 49. — (3) *Ibid.* — (4) De Synod. I. 9. c. 45. n. 5.

giosos, et procedere adversus eosdem, si admittant ad celebrandum in suis ecclesiis advenas sine Episcopi licentia, juxta Tridentinum, *sess. 22. Decr. de Obs. in Cel.*, ubi præceptum fuit, præsertim Episcopis: *Interdicant, necui vago, vel ignoto sacerdoti Missas celebrare liceat.* An deinde in aliis casibus supracitatis possit Episcopus cogere censura Regulares: affirmant Barbosa Garcia et alii; sed communius negant Sanchez Lezana et Salmantic. cum aliis, synopter multa privilegia papalia, quæ hac de re afferunt; et addunt cum Barbosa, Diana, Lezana (contra alios) quod Episcopus ne denuntiari quidem potest Regulares excommunicatos, etiam ob publicum delictum (5).

78. Quæritur primo utrum Regulares obligentur Decretis synodorum provincialium, aut diocesinarum, aut aliis Episcopi præceptis? Certum est Regulares non tenere interesse dictis synodis dummodo non essent parochi, sicut habetur ex Trident. *sess. 24. c. 2.* et ex pluribus Decretis S. C. Deinde quoad quæsitum Vasq. Sanch. Becanus alique dicunt eos obligari ad eorum omnium observantiam, quæ non præjudicant observantiæ regulari; sed non intelligitur quoad vim coactivam; ita ut contraveniendo non incurrant aliquam pœnam, sed solummodo quoad vim directivam, id est, ut se conforment reipublicæ, cujus sunt partes. Alii tamen, ut Suar. Lezana Salm. etc. id negant (dummodo hoc necessarium non sit ad evitandum scandalum, aut casus non esset, in quo Religiosus aliquis haberet aliquod munus dependens ab Episcopo, ut munus parochi, confessoris, concionatoris, etc.). Et id probant ex *cap. 1. de Privil. in 6.*, ubi dicitur Regulares eximi a præceptis Episcoporum, exceptis casibus in jure expressis. Rationem deinde adversariorum dicunt valere; quando partes sunt homogeneæ, non autem, (5) Salmant. c. 3. § 3. per totum,

cum sunt heterogeneæ, et sunt Religiosi, qui non periode ac sæculares multa alia onera particularia habent. Cæterum in duobus ulla sine hæsitatione ipsi obligantur ad obediendum, ut dicitur in Trident. *sess. 25. c. 12. 1.* quoad observantiam interdicti positi ab Episcopo semper ac observatur ab Ecclesia matrice; 2. quoad observanda festa ab Episcopo statuta *A*; præter ordinationes circa Missarum celebrationem, ut dictum est superius *n. 75. circa finem.* Præterea notetur Episcopum posse Regularibus interdicare auditum confessionum in propriis ædibus sive cellis, juxta Decretum S. C. emanatum an. 1617. 15. Sept. et videri potest apud p. Ferraris (2). Potest etiam vetare omnibus confessariis audientiam confessionum mulierum, aut puellarum extra confessionarium sub pœna suspensionis ab audiendis confessionibus ex Decreto s. Congr. 18. Decemb. 1693. apud eundem Ferraris (3).

79. Quæritur secundo utrum Episcopi possint visitare personas et monasteria Regularium? Communiter loquendo, certum est ex *c. Nulli 16 quest. 1.*, et ex Tridentino, *sess. 25. c.* exemptas esse a visitatione Episcopi, tam personas, quam monasteria et ecclesias Regularium (dummodo in illis degant duodecim Religiosi. Vide num. 88.). Et juxta plures declarationes sacræ Congregationis etiam ecclesias parochiales Sæcularium, quæ subduntur Regularibus, et ubi parochus est Religiosus, qui, si delinqueret etiam circa suum officium, non potest ab Episcopo puniri. Sed non obstantenunc præter Bullam Gregor. XV. *Inscrutabili* a Bened. XIV. declaratum atque definitum est in Bulla *Cum nuper* edita 8. Növ. an 1751. hujusmodi subjectos esse Episcopo in his quæ vel ad ipsum spectant exerci-

(1) Vide Salmant. tr. 18. c. 3. §. 4. per totum. (2) Ferr. bibl. v. confessarius a. 4. n. 8. — (3) Idem loc. cit. n. 10.

tiuum curæ animarum, vel etiam ad eorum vitam et mores pertinent. Sed fusius idem Bened. XIV. de hac re agit in quadam Bulla peculiari *Firmandis*, edita die 6. Novemb. 1744. ubi plura statuit. Quod parochi regulares omnimode subsunt jurisdictioni, correctioni et visitationi Episcopi, in iis quæ concernunt curam animarum et proprios mores. 2. Quoad visitationem localem, possunt visitari altari in quo ss. Eucharistiæ Sacramentum asservatur, sacrum tabernaculum, fons baptismalis, confessionale in quo residet parochus, pulpitu in quo parochus concionatur, sacrarium ad inspiciendam sacram suppellectilem, sepulchrum parochianorum, eorumque cæmeterium, turris campanaria, si adsint ibi campanæ parochiales, et omnia sacra vasa. 3. Quoad personalem, debent scrutari vitam ac mores curati, quatenus ea quæ extra claustrum prodierint item examinare an titulo legitimo eam curam exerceat, an resideat, an ad Synodum vocatus iverit, an confessiones casuum conscientiæ habeat frequenter, an onera curæ adimpleverit, an Missam pro populo applicaverit, an festis diebus concionatus fuerit, etc., an vacet confessionibus audiendis, an ægrotantibus assistentiam præstiterit, an pueros ante Confirmationem et Communionem instruxerit an de matrimonii impedimentis inquisiverit, et an sponsi in rebus Fidei sint edocti, et an recte ordinatos habeat libros parochiales. 4. Quod licet Superiores regulares non possint deputare aliquem ad curam sine Episcopi approbatione, possunt tamen eum removeere illo in scio, et ita pariter Episcopus potest cura illum privare sine consensu Superioris, si id iusta causa exposulet, etc. Potest etiam visitare ecclesias adnexas, et subditas monasteriis, si earum administratio sit penes parochos sæculares, prout pluries declaravit s. Congreg. apud Bellarminum et Barbosam excipe, si incorporatæ

essent monasteriis, aut nullius esset diœcesis. Possunt præterea Episcopi visitare confraternitates Sæcularium fundatas in monasteriis, sed dumtaxat quoad administrationem bonorum, non quoad altaria, ut ex Trid. *sess. 25. c. 20.*, et ex pluribus Decretis sacræ Congregationis. Excipiuntur insuper illæ quarum Præfectus est Religiosus ex privilegio Gregorii XIII., cui nulla contraria consuetudo potest obstare (1).

80. Quæritur tertio utrum Episcopi possint visitare claustra monialium exemptarum? Negant Salmanticenses cum Navarro Sanchez Bonac. Pelliz. etc. ex *c. Periculoso de statu Monach. in 6.*, ubi cura claustrum Monialium exemptarum manifeste conceditur Superioribus regularibus. Neque obstat (ut aiunt) Tridentinum, *sess. 25. cap. 5.*, ex quo contendunt patroni adversæ sententiæ, Episcopos esse delegatos apostolicos quoad claustrum Monialium exemptarum, cum ibi statuatur ut ipsi curent, ut restituatur aut conservetur claustrum in omnibus monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero Sedis apostolicæ auctoritate. Etenim respondent, quod pro illo in aliis, etc., non intelligantur monasteria Regularibus subjecta, sed subjecta immediate Pontifici, quod asserunt declaratum fuisse per Pium V. in sua Bulla *Circa pastoralis*: eo magis quia Concilium in loco prædicto renovat, non revocat citatum textum *Periculoso*. His non obstantibus contraria sententia amplectenda est cum Barbos. Gavant. Lezan. etc., quia, licet non obstat Tridentinum, nihilominus obstat equidem Bulla Gregorii XV. *Inscrutabilis* anni 1622., in qua dictum fuit, 1. Ut Regulares nequeant destinare alium ad audiendas Monialium confessiones, præter eum, qui fuerit approbatus ab Ordinario (et in hoc animadvertendum est quod præterea statuit Bened. XIV. in Bulla *Pastoralis* die 5. Augusti 1748, confirmavit s. Congreg. apud Bellarminum et Barbosam excipe, si incorporatæ

(1) Salm. tr. 18. c. 3. n. 31. ad 36.

mans Bullam, *Apostolici ministerii*, Benedicti XIII; quod scilicet si regularis Superior negligeret assignare saltem semel in anno confessarium extraordinarium, aut sæcularem, aut alterius Ordinis, quemadmodum Pontifex præcepit, possit illum assignare diœcesis Episcopus). 2. Statuit Gregorius XV., ut administratores monasteriorum dictarum Monialium debeant rationem reddere Episcopo administrationis bonorum. 3. Ut Episcopus valeat removeere confessarium, aut alium administratorem monasterii, si Superior monitus illum non removeat. 4. Ut Episcopus præsidere possit electioni Abbatissæ. Ac quinto specialiter fuit statutum, ut Episcopus possit corrigere et punire, veluti delegatus apostolicæ Sedis, eos omnes qui aliquid admittunt adversus clausuram Monialium, etiam exemptarum. Placet hic adnotare verba Bullæ: *Tam sæculares, quam Regulares nullis privilegiis tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personam intra septa degentes, aut circa clausuram Monialium, etiam Regularibus subjectarum, ab Episcopo tamquam ad hoc Sedis apostolicæ delegato, puniri et corrigi valeant* (2). Et ibidem refert Barbosa Decretum quoddam sacræ Congregationis, ubi statuitur, quod nullimode possit impediri Episcopis, quin visitent monasteria exempta, et Regularibus subjecta quoad observantiam clausuræ; et qui præsumit impedire, post tertiam monitionem incurrit excommunicationem ipso facto ex Clem. *Attendentes, de statu Mon.* (3). Præterea hoc in loco notandum est, quod Clemens X., et Clemens XII. præceperunt, ut observaretur Bulla Gregorii XV. *non obstante quacunque contraria consuetudine*.

81. Quæritur 4. utrum Episcopi exigere queant a Regularibus ratio-

(2) Vide Barbosam de potest Episc. All. 102. n. 7. et Salm. tr. 18. c. 3. n. 37. ad 39. — (3) Vide de Alex. de Monial. c. 6. §. 4. q. 3.

nem hæreditatis relicte cum onere Missarum, aut legatorum satisfactorum sæcularibus? Videntur posse, ex eo quod eruitur ex Tridentino, *sess. 22. c. 8.*, ubi præbatur Episcopis potestas visitandi omnia legata pia, non obstante quocumque privilegio in contrarium. Et dicunt Salmanticenses, quod ex hoc recte sententia ista redderetur probabilis. Sed ipsi deinde id negant ob multa privilegia Regularibus concessa, præsertim per Pium V., in quibus declarantur exempta Religiosorum bona a quacumque Episcopi jurisdictione, non obstantibus quibuscumque Constitutionibus apostolicis et Conciliis (1).

82. Quæritur 5. utrum Episcopus in alia causa possit procedere criminaliter contra Regulares? Dictum est Regulares exemptos esse ab Episcoporum jurisdictione, præterquam in casibus in jure expressis. Præter id quod spectat ad Missarum celebrationem et clausuram Monialium, in duobus aliis casibus possunt ex Tridentino Episcopi contra eos procedere. 1. Si Regularis aliquis patret delictum, degendo extra monasterium, *Trid. sess. 6. c. 3.* Sed hoc intelligitur eorum respectu, qui permanenter extra monasterium habitant, non vero quoad illum Religiosum, qui extra maneret causa confessionum excipiendarum, aut concionandi, aut alterius negotii ad tempus; aut incoleret pagum, aut locum alium dependentem a monasterio ob negotia religionis. Sed hic oritur dubitatio, utrum possit Episcopus punire illum delinquentem, qui habitaret alium locum ob longum tempus ex licentia sui Superioris? Alii affirmant, veluti Tambur. Barbosa Lezana etc. pluribus innixi declarationibus S. Congr. Alii quæmadmodum Salmanticenses cum Sanchez Sylvest. Peyrino Bordono etc. negant ex *c. Ex Rescripto de jurejur.* ubi dicitur, quod qui manet extra monasterium ex licentia Superioris, judicetur in mo-

(1) Salm. tr. 48. c. 3. n. 40. ad 42

nasterio manere. Quare aiunt, quod tam Concilium, quam prædictæ declarationes vigere intelligantur in eos qui extra monasterium morantur sine licentia, aut in loco adeo remoto ab eorum Superiore, ut puniri non possint, nisi post longissimum tempus (2).

83. Secundus casus est, cum Religiosus, etiam degen in monasterio, extra illud delinqueret cum publico populi scandalo, et Superior eum non puniret. *Trident. sess. 25. cap. 14.* Et quia Superiores quidam transmittent hujusmodi delinquentes extra diæcesim, ut immunes essent a pœna, statuit Clemens VIII. anno 1596. in Bulla *Suscepti oneris*, ut in tali casu, instante Episcopo, Superior infra tempus ab Episcopo præscriptum revocare debeat delinquentem, et punire; alias possit eum castigare Episcopus loci, quo ipse transmissus est (3). Adnotant deinde Salmanticenses cum aliis 1. ut hujusmodi Concilii Decretum vigere debeat cum Jelicetum est notorium etiam facti publicitate. 2. Ut non valeat adversus Superiores delinquentes, qui in odiosis non includuntur sub nomine Regularium, quemadmodum ait Concilium 3. Ut Episcopus procedere non possit, nisi postquam pluries monuerit Superiorem, ut delinquentem puniret, et ille neglexerit. Si tamen Episcopus delinquentem in actuali delicto interciperet, potest illum capere (sicut dictum fuit), sed ut statim eum transmittat ad Superiorem; et quando crimen fuisset gravis scandali, potest etiam eumdem retinere in carcere, ut transmittat infra 25. saltem horarum spatium. Superior deinde præbere Episcopo debet sufficientia argumenta sequente punitionis, Episcopus, licet capere possit summariam informationem, ut eam ad Superiorem transferat, non potest tamen juridicum efformare processum adversus reum: sed si forte efformasset, probabile est eo Superiorem uti posse

(2) Salm. tr. 48. c. 3. n. 40. ad 46. —

(3) Salm. Ibid.

ad procedendum in suum Religiosum, ut aiunt Salmanticenses cum aliis (1).

84. Secundo. Regulares privilegium habent exemptionis a contributione Decimarum. Arrepta occasione, oportune hoc in loco adnotantur quædam circa Decimas. Decimæ dicuntur illa fructuum portio, aut industrialium personalium quæ a fidelibus tribuenda est Ecclesiæ ministris, pro eorum sustentatione. *Bævera* Decimæ debentur ex jure divino naturali; sed quoad quantitatem, id est decimam partem, sunt ex jure ecclesiastico, cum cessaverit jus antiquum divinum ut judiciale. Hinc fit 1. Pontificem posse quemlibet eximere ex onere decimarum; Pontificem, inquam, non Episcopos: ipsi dumtaxat possunt ex Trident. *sess. 21. c. 5. 6. et 7.* applicare decimas unius loci ad alium, et unire ac separare beneficia (2). Inferitur 2. quod consuetudo rite potest aliquos eximere a solvendis Decimis, dummodo remaneat id quod sufficit ad congruam Ecclesiasticorum sustentationem; sed hujusmodi consuetudo præscriptionem quadraginta annorum non interruptorum habere debet, licet ab initio, nec titulus, nec bona fides interfuerint: ad præscriptionem deinde (accipiendo vocem prout sonat præscriptio, non ut consuetudo) necessaria sunt bona fides, et quadraginta anni cum titulo; sine autem titulo requiritur tempus immemorabile. Pro futuris Decimis fieri potest compositio: sed etiam solummodo a Pontifice non ab Episcopo, nisi fieret inter unam et aliam ecclesiam. Dictum est pro futuris, quia præteritas remittere potest etiam ille, cui debentur (3).

85. Olim Decimæ debebantur, ut dictum est, tam ex fructibus bonorum, quam ex personarum industria. Sed juxta præsentem consuetudinem pene universalem solvuntur solum ex fructibus bonorum tam stabilium, quam mobilium, juxta *cap. Non est*,

(1) Ib. n. 50. et 51. — (2) Ib. n. 52. et 54. — (3) Ib. n. 55.

de Decim. Et debentur ex fructibus integris non deductis expensis et oneribus contributionum, ut ait s. Thom. (4) et alii communiter ex *c. Cum non sit, de Decim.* (5).

86. Decimæ præterea solvi debent ab omnibus fidelibus, etiam a principibus, sed non a pauperibus: isti tamen, nisi sint in extrema necessitate, sed solum in gravi, si pervenerint ad meliorem fortunam, tenentur solvere præteritas Decimas, ut dicunt Suarez Layman Castr. et alii, cum Salm. (6). De jure autem communi tam clerici quam Religiosi, et etiam parochi tenentur solvere Decimas suorum bonorum patrimonialium, licet assignata fuissent ad titulum Ordinationis, non autem bonorum beneficialium, ut docet d. Th. (7). Quoad eos vero, qui deficiunt a solvendis Decimis, hæc statuit *Trid. sess. 23. c. 12. de Reform.* Qui vero eas (decimas) aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur; nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur (8).

87. Sed quid sit de jure antiquo, hodie ex multis privilegiis pontificiis omnes regulares, etiam Moniales cujuscumque Ordinis (et etiam Equites hierosolymitani) eximuntur a Decimis non solum personalibus, sed etiam stabilium, tam priorum (etsi colantur a colonis), quam conductorum, aut emphyteuticorum (9). Si tamen transeunt ad Regulares bona prius subjecta Decimis, tenentur ad illas, uti constat ex pluribus Decret. Sacræ Congregationis Rotæ apud Pignatelli (10).

88. Tertio. Olim Regularibus vetitum erat, ne nova ædificarent monasteria aut derelinquerent ædificata sine expressa licentia Summi Ponti-

(4) 2. 2. q. 87. a. 2. ad 4. — (5) Salm. tr. 48. c. 3. n. 58. — (6) Salm. tr. 48. c. 3. n. 59. — (7) Loc. cit. a. 4. in corp. et ad 4. ex c. si quis Laicus 46 q. 4. — (8) Salm. 4. 62. — (9) Ib. n. 72. ad 79. — (10) Pignat. t. 4. cons. 355 et t. 8. n. 9.